P

JL

R
D.

L
D
E
PRA
I

PER
C

Re-
O

PHILOSOPHIA RATIONALIS

quam
sub auspiciis
JLLUSTRISSIMI EXCEL-LENTISSIMI
&
REVERENDISSIMI DOMINI
D. GEORGII MARIÆ COMITIS
de
LASCARIS
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI ZENOPOLITANI,
PRÆPOSITI INFULATI OLYCENSIS, &c. &c
In Almo Basiliano Gymnasio Volodimiriensi
publicè disputandam

PROPONIT

PERILLUSTRIS MAGNIFICUS DOMINUS IGNATIUS in CIESZKOW
CIESZKOWSKI SUCCAMERARIDES VOLODIMIRIENSIS,
PRÆSIDE
Reverendo Patre D. NICODEMO KARPINSKI
Ord: S. BASILII MAGNI *Sacr: Th: Doctore,*
Actuali Philosophiæ Professore & Scholarum Præfecto.
Annô Dñi 1746. die 5ta Mensis Februarii.

LEOPOLI. Typis Collegii Societatis JESU.

In Avitum
JLLUSTRISSIMÆ GENTIS
DECUS.



Jos: Joa: Filipowicz del: Sculp: Leopoli

I.

Imperii PRÆSUL ceris, fers Stemma Pelasgi
Ergo Supremo dignus es Imperio

I I.

Aſtrorum Princeps Sol eſt, Princepsq; Volucrum
Ales, bino igitur, Principe clarus ades.
Ter Princeps eris Antiſtes tunc Magne GEORGI
Quando Tibi Præſul Roma Triregna dabit.

Eunti per publicum Clearcho aurea AQUILA velut ARGUMENTUM GENERIS præferebatur.
Just: Lib: XVI. Cap: V.

Primi Jovis Regalis AVIS illa. *Luc.*

Læditur hæc nunquam fatali fulminis ictu. *Neot.*

Hinc ALES Jovis - - - -
Præpetibus pennis cælo ſe credit aperto. *Pont.*

- - - TE decoro
Nobilitas comitata greſſu.
Centum vetuſtas nectit Origines
Centumq; retro per populos fluit
Ceris Avorū: nec ſeveræ
Martis opes, AQUILÆq; deſunt
Sarb: l. 3.

Nos AQUILÆ intrepidis Signa benigna damus. *Alc: in Emb.*

Adoleſcenti Hieroni AQUILA in Clypeo conſedit, quod oſtentum & conſilio cautum, & Regem futurum ſignificabat.

Trog. Pomp. apud Juſt.
L. XXIII. Cap: IV.

Aquila omen Imperii *Idē l. XII. C. IV.*

Dejotaro Regi omnia ferè auſpicatò gerenti ſalutaris Aquilæ conſpectus fuit *Val: Max: L. IV.*

- - TIBI lentè currentibus annis
Sidera, creſcentes lunas, ſolesq; beatos
Rorantes placidè gemmas ſine nube Serenum
Promit Volucris venturi præſcia fati
Pl. Pal.

JLLU-

JLLUSTRISSIME, EXCELLENTISSIME ac REVERENDISSIME DOMINE DOMINE.

LOngiori temporis, dierumq; decursû, seriùs nostra rationalis perpendens Philosophia, sub cujus præcipuè Nomine publicã primùm lucem intueri posset; eũ maturioris examinis, meditationisq; fructũ

est consecuta, ut non aliundè, quàm è Tui PRÆSUL AMPLISSIME *Nomine, sibi decus, & præsidium adscisceret. Neq; magnô sanè operis pretiô indiget, ut electionis suæ causas adducat, quum nunquā decentiùs securiúsq; à quovis iniquæ fortunæ impetu, quam, dum Te primâ fronte gerit, in publicam, è scholasticis tenebris, latebrisq; lucem prodire valuit, meritò persvasa: eâ ratione, non modo perquam multos, eosq; non spernendos forte defectus tectum, sartumq; iri, verùm etiam pretium æstimationemq; sui suppleri augeriq; posse, se verò ita reliquis præferendam putabit, quemadmodum Tu ipse aliis quà animi, quà Fortunæ dotibus ornatissimus præstare dignosceris. Quid enim vero singulares, præclarasq; virtutes Tuas ad calculum revocare præsumam, cum facilius*

cilius

ciliùs hæ in Te conſpici, quàm pro dignitate recenſeri queant. Quid AMPLISSIMÆ LASCARUM *Gentis Imperiali Græcorũ ſolio notiſſimæ Dignitatẽ memorẽ? cujus non poſtremum decus principe profectò loco recenſendus* THEODORUS *cognomento* LASCARIS. *Ad Annum* 1255 * *Imperatoriam dignitatem adeptus, victricibûs dein Bulgarorum, Theſſalorumq; quos ſolâ armorum oſtentatione ad pacem deprecandam compulit, laureis redimitus, ipſô ætatis flore, quartô vix in Imperio exactô annô, relicto* JOANNE *Filio, non modo Imperii, ſed & præſtantiſſimarum virtutum hærede, Monachus Baſilianæ Religioni adſcriptus, brevi licet immatura morte immortalitatem nactus, maximum, neq; ullis unquam ſæculis interiturum decus attulit, ex cujus pietate, & Re-*

B2 *ligione*

* *Georgius Acropolita in hiſt.*

ligione non minùs ſplendoris Imperio, ac Imperiali Majeſtate dignitatis Baſilianæ acceſſit Religioni. Tam clara, Auguſtiſſimaq; Familia extremum penè Dignitatis gradum in ampliſſimo Imperatorio honore aſſecuta, inclinatô demū ad occaſum Romano Orientis Imperio, in Italiam ſe contulit, Superis ipsîs forte caventibus; ne quod inter Græcos ſplendidiſſimum Clariſſimumq; vigeret, concidentis demum Græciæ impetu oppreſſum, conſepeliretur, è quâ modo Tu ſingulari ætatis noſtræ privilegio, ad decus, & ornamentum noviſſimi hujus ſæculi ortus, adeò omnes, ſingulaſq; ampliſſimæ Gentis dotes animô complexus es, ut nemo unquàm felicius præſtantiſſima LASCARIÆ Familiæ *decora Oratione efferre poterit, quam dum TE Majorum terentem Veſtigia tanquam per-*

fectiſſimam

fectissimam eorum Ideam, ad miraculum adstantium indigitaverit. Quis enim potest illustriùs avitæ Gentis propagare Gloriam, quàm dum eam semper recenti virtutum exemplô, velut quodam tersissimô, purissimoq; speculo ubivis locorū secū deferat, neq; minus generosi Sanguinis, ac probitatis, se esse hæredem comprobet, si semina virtutum in uberes rectefactorum succrescentia fructus, densis vitiorum vepribus, tribulisq; opprimi non patiatur. TE igitur, quisquis defæcatiori intuetur oculo, facilè ex more, dignitateq; amplissimæ Gentis ætatem agere proferet; quòd verò de Majoribus Tuis dici, vel scribi posset, prætereundum judicabit. Ea enim, quæ tot sæculorum decursu, ab Avis Proavisq; Tuis fortiter, sapienter, præ-

crareq; gesta sunt, omnia in Te uno perfectissimè, ni dicam excellentiùs accumulata, congestaq; intelliguntur. Enituit profectò (quemadmodum nobis subaudisse datum est:) in pueritia adhuc, egregia illa Tua Indoles, genuinum, atq; hæreditarium ad Te cum Sanguine à Majoribus derivatum transmissumq; munus, quo vitia declinare, difficilem Virtutis, honestatisq; viam sectari, & in pulcherrimis, juxta ac necessariis rationi vitæ rectè instituendæ disciplinis exerceri, versariq; consvevisti, vix demùm exacta summa cũ laude, neq; adeô facili exemplo pueritia, prætextam exutus es, mox TE *sacræ Clericorum Regularium,* Duce Divo CAJETANO *militantium inseruisti Familiæ, splendorem* Natalium *Religiosis* Umbris *singulari*

lari

lari Modestiæ, ac humilitatis exemplô obvoluturus. Quot autem, quantave Virtutũ in sacrô Cætu fundamenta jeceris? vel inde non obscurè orbis colligit, quòd TU præ cæteris recenti in Oras Sarmatiæ deductæ Coloniæ Princeps designatus, novam proinde nondum debitis viribus firmam susceperis Provinciam, ubi cũ alii (ut communiter in humanis fieri assolet:) ingenti negotiorum mole oppressi certò certiùs succumberent, ibi Tu amplissimum explicandarum Animi dotum campum reperiens, ea Divinarum humanarumq; Scientiarum Magister Sapientiæ documenta, ea solidæ pietatis, prompti in arduis consilii, notissimæ in rebus, quantumvis difficillimis feliciter expediendis dexteritatis, immotæ in adversis fortitudinis, singularis in

prosperis modestiæ, nec non compertæ in quosq; minimos etiam infimosq; humanitatis, comitatisq; exēpla dedisti, ut Te magisne amandū, an admirandum, suspiciendumq; sibi Sarmaticus Orbis proposuerit, decernere non ausim, facilè profectò horum omnium ingenuos testes eximiosq; virtutum Tuarū laudatores illos præ cæteris fore non dubito, quos ad excolendam Ecclesiæ Vineam Dignissimus Leopoliensi Pontificio Collegio Præses, *non tam verbo, & Doctrinâ, quam exemplo, morūq; Tuorū regulâ informasti. Quemadmodum verò lucis umbra, ita virtutis honor comes, æternâ Superûm voluntate statutus est, ut mortalium animi non minus Gloriæ obtinendæ, ac perficiendæ virtutis cupiditate tenerentur, suisq; semper*

la-

laboribus prompta præstò merces adesset. Maximis idcirco splendidissimisq; Tuis promeritis Catholica Ecclesia devincta ZENOPOLITANA ornatū Tyarâ Cōscriptis Ecclesiæ adscripsit Patribus, ut quo ampliori clarioriq; auctus appareres dignitate, eô firmioribus ad propulsandas depellēdasq; Catholicæ ingruentes Ecclesiæ calamitates, ejus jura sarta tectaq; habenda viribus instrueréris. Satis ergo superq; omnibus innotuisse opinor, non illud Fortunæ, non hominum, sed Divini Superûm consilii fuisse Opus, quod Te velut clarissimum Ecclesiæ lumen orbi ad exemplum in hoc dignitatum splendore visendum admirandumq; proposuit, convulsæ Christianæ Reipublicæ robur, integræ dignitatem, severum Justitiæ vindicem, strenuū

D op-

*oppressæ Innocentiæ Protectorem, cũctaq; in Te uno habituri, hinc non ulla hucusq; fermè occasio prætermissa fuit, quò minus his in Partibus gravissimis Ecclesiæ negotiis, vix unquam continuô intermissus labore præficereris, Tu vero Eum Te in iis exequendis præbere consvevisti, ut vel inde, dũ verissimæ dudũ jam de Te conceptæ opinioni ad amussim respondes, simul ardens Tuum in Rempublicã Christianã studium palã luculenterq; appareat. Esto horũ omniũ, præter cætera ferè innumera nõ postremũ, neq; vulgare documentũ, quod ante aliquot annos sũmâ Romanæ sedis ad Generalia Basilianæ Religionis Comitia auctoritate delegatus, Talem Te præstiteris, ut nulla unquã è mente Roxolanæ Ecclesiæ ætas, nulla è Basi*liani *universi Cætûs corde oblivio grati in*

ti in

ti in Te animi ſenſum ſit deletura: hinc initium ſumpſit non contemnenda Baſilianæ Religioni *ratio, ut quod unicum præ manibus ſibi præſtò eſſe intellexit, id tibi tantisq; ac maximis Tuis beneficiis debitæ gratitudinis ergo tributi perſolveret; rata ſe plurimùm ejusmodi officiis apud Te promereri poſſe, quo pleniùs pro modulo ſuo Tuæ eximiæ ſatisfaceret provehendarum voluntati Literarum. Erit ergo non poſtremum Tuæ in nos voluntatis documentum, ſi rationalem Scientiam amicum TUI exoptantem ſinum, placido & ſereno vultu, gratô verò & libentî animô exſceperis. Quid enim hæc ſibi feliciùs jucundiusq; optare poterit, quàm Tui Nominis ſplendore tegi, Patrocinio foveri; haud injuriã opinans, ſe, dummodo in Tuam JL-*

LUSTRISSIMAM, potentissimamq; clientelam conferat, fructum ex ea quàm maximum abundantissimumq; decerpturam. Ea enim est communis omnium rerum conditio, ut si alicui Gravissimo, Ornatissimo, Tibiq; æquali Viro, qui nimirum Nominis, Doctrinæ, rerumq; gestarum gloriâ ab omnibus colatur, complaceat, non amplius se ulteriori commendatione egentem profiteatur. Quemadmodum autem quæq; à sui fonte exiguo flumina, quò propiora Oceano, eò ampliori, capacioriq; alveô decurrunt; rectè profectò, nostra Rationalis existimavit Philosophia, se non unquam prosperiori æquioriq; uti posse fortunâ; quàm si Tuo Nomine insigniri, inq; Tuum venire conspectum se dignam fuisse probaverit, quòd non tam pro sui, Offerentiumq; meritô, quàm pro notissimâ, eximiâq; Tua humanitate jure sibi spondere non dubitat, ut videlicet, quò minor, si hanc spectes, Tibi est, cur id facias, causa, eò admirabilior esse magisq; illustris in eo faciendo videaris.

CONCLUSI-

CONCLUSIONES

Ex

UNIVERSA LOGICA.

I.

LOgica eſt Virtus intellectualis.

II.

Logica eſt Ars,

III.

Et Scientia ſimpliciter practica.

IV.

Logica artificialis ad acquirendas alias ſcientias, non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed:

V.

Tantùm ſecundùm quid.

VI.

Objectum Logicæ proximum, immediatum, & adæquatum materiale non ſunt voces, neq; res, nec ens rationis, ſed:

VII.

Tres mentis Operationes.

VIII.

Objectum formale eſt rectitudo paſſiva intrinſeca mentis operationibus.

IX.

Objectum attributionis Logicæ non eſt definitio, nec modi ſciendi

di

di ſive in abſtracto, ſive in communi ſumpti, neq; ſola concluſio Syllogiſtica, ſed:

X.

Syllogiſmus perfectus complectens probabilem & demonſtrativum.

XI.

Diſtinctio entium poſitivorum conſiſtit in poſitivo.

XII.

Non datur inter gradus metaphyſicos Scotiſtica diſtinctio formalis ex natura rei.

XIII.

Neq; diſtinctio virtualis Thomiſtica.

XIV.

Neq; gradus metaphyſici diſtingvuntur per præciſionem objectivam intrinſecam.

XV.

Neq; datur præciſio formalis ex parte actûs, ſed:

XVI.

Jnter gradus metaphyſicos datur ſola præciſio objectiva extrinſeca.

XVII.

Non datur Univerſale à parte rei.

XVIII.

Univerſale non fit per actum Explorativum, neq; per comparativum.

XIX.

Nec per actum fingentem unitatem, nec per actum confundentem plura per modum unius, ſed:

XX.

Univerſale metaphyſicum & logicum fit per actum præſcindentem ex parte objecti extrinſecè naturam à differentiis.

XXI.

XXI.

Natura abſtracta ab uno individuo, eſt ſufficiens materia univerſalis.

XXII.

Univerſale in actuali prædicatione non manet univerſale.

XXIII.

Genus poteſt definiri.

XXIV.

Ab individuis primo intentionaliter ſumptis poteſt abſtrahi ratio cõmunis univoca individui.

XXV.

Differentia diviſiva generis non includit in ſuo conceptu genus, quod dividit.

XXVI.

Relatio prædicamentalis non conſiſtit in tribus, nempe fundamento, ratione fundandi, & termino.

XXVII.

Relatio prædicamentalis non con-

ſiſtit etiam in fundamento connotante terminum.

XXVIII.

Neq; conſiſtit in entitate ſuperaddita fundamento, termino, & rationi fundandi, ſed:

XXIX.

Relatio prædicamentalis ſumpta in abſtracto conſiſtit in ſola ratione fundandi.

XXX.

Relatio prædicamentis terminatur formaliter ad abſolutum quid, non reſpectivum.

XXXI.

Relatio tranſcendentalis conſiſtit in ſolo fundamento.

XXXII.

Propoſitio mentalis eſt ſimplex qualitas.

XXXIII.

Objectum materiale propoſitionis ſunt extrema objectiva.

XXXIV.

XXXIV,

Objectum formale propositionis affirmativæ est identitas.

XXXV.

Propositionis verò negativæ objectum formale est negatio identitatis.

XXXVI.

Veritas propositionis consistit partim in actu repræsentante objectū sicuti est, partim in objecto ita se habente sicuti repræsentatur per actum, falsitas è contra; unde:

XXXVII.

Veritas non est adæquatè intrinseca soli actui.

XXXVIII.

Sed partim intrinseca partim extrinseca.

XXXIX.

Propositiones de futuris contingentibus sunt determinatè veræ vel falsæ.

XL.

Propositio vera non potest transire in

in falſam, nec è contra, è falſa in verã.

XLI.

Præmiſſæ objectivæ concurrunt ad concluſionem tanquam cauſa motiva moralis.

XLII.

Præmiſſæ formales ad concluſionem in nullo genere cauſæ concurrunt.

XLIII.

Poſito aſſenſu præmiſſarum intellectus neceſſitatur neceſſitate contrarietatis ad concluſionem quoad ſpeciem actûs, ad exercitium verò actûs neceſſitatur neceſſitate contradictionis.

XLIV.

Idem actus circa idem objectum poteſt eſſe ſimul ſcientia, fides & opinio.

Ad M. D. G. B. V. M. H.
S. P. BASILII,
& OO. Veneratione͂.